CORONATÆ LAUDES REGIO NOMINE DIVI CASIMIRI,

CELSISSIMO PRINCIPI

Illustrissimo & Reverendissimo DOMINO,

D. CASIMIRO

â ŁVBNA

ŁUBIENSKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI DVCI SEVERIÆ,

BENEFACTORI CLEMENTISSIMO.

De Saxo RVPELLÆ
Gratulatorio excisæ calamo,
&
A Suis Clientibus Rupellanis Magno Nomini CASIMIRI
applaudentibus,
Cum profundo Cultu.

PRÆSÆNTATÆ.

CRACOVIÆ,
Typis Ioannis Domanski, S. R. M. Typographi.

Et CORONAM gratulationis impone Tibi *Eccli:* 6.

Sacerdos quoquè qui erat ante Civitatem, TAVROS &
CORONAS ante Ianuas offerens. *Actor.* 12.

Narrabo NOMEN TVVM Fratribus meis. *Psal:* 21.

Casurum nullo tempore NOMEN habet. *Ovid:*

Victura meis, mandantur NOMINA chartis.

AD CELSISSIMUM PRINCIPEM BENEFACTOREM CLEMENTISSIMUM VOTIVA APPRECATIO.

CAsus tulit sed fortunatus, ubi contingit in Tui profundum labi Cultum PRINCEPS CELSISSIME; justum enim est etiam septies de die cadere in Veneratione REGII NOMINIS TUI, quo Te Divina coronavit dextera. Nemo vitare debet Casum, maximè quem Magna prædicunt Nomina & non fata: felicitatis enim nota est in talem incidere Casum, quem PRINCIPIS Clementia, favor, & benevolentia infallibili comitatur sequelâ. Allusio ad anagrāma Nominis Casimiri. *Magnum meretur Prædicamentum hoc Casuale Accidens, in quo si Nomen CASIMIRI scrutari liceret, solam eamq;* miram *qualitatum nemo non mirabitur Categoriam. Non me terret CASUS PERAUGUSTI NOMINIS TUI PRINCEPS CELSISSIME: hoc enim Casu, stat Ecclesiæ immunitas, Fidei Zelus, Regni salus, Civium Unio, Cleri Dignitas, Ovium securitas,*

Vineæ

Vineæ Christi cultura, Religionum Monasticarum Conservatio, Universæ Diæcesis gubernatio, Pauperum conditio: è converso, NOMINIS TVI mirifico Casu cadit in dies Heterodoxorum Babylon in levi fundamento posita: illud enim vel maximè in Votis habes, ut sit Tibi Ovile unum. Minari videris Casum sectarijs, quoties in NOMINE TVO hæc eijciuntur dæmonia. Iam propè vergunt in Casum Acatholicorum Fana, quæ vivo DIVI CASIMIRI exemplo, nedum reædificari, verùm nec corrigi permittis, ut casu graviore ruant. An semel succubuêre in Tribunalitio Foro dissidentium causæ? quoties his tenebrarum filijs Diem dicere jussisti. Puritatem Fidei Orthodoxæ ita colis PRINCEPS CASIMIRE, ut cum Tuo TVTELARI CASIMIRO malis mori, *quàm à malevolis veram fœdari* Fidem. *Vigilem Tuam Pastoralem quis non mirabitur palpebram: lupum enim venientem, ex Acatholica sylva ad purè Catholicum Cracoviensem Magistratum postquam conspexeris, Authoritate Pastorali Ostium intrandi occlusisti. Pari Zelo incedis PRINCEPS CELSISSIME, cum Divo Stanislao Tuæ Cathedræ quondam Præsule: ille induratum Gentilismum è Rupellæ cacumine præcipitavit in Barathrum; Tu à Corpore Ecclesiæ avulsa antequam damnes in exitium, in Vnionem Fidei miro modo trahis pectora. Admitte PRINCEPS CELSISSIME saxosum Rupellæ nostræ calamum, in Tuas REGIO NOMINE CASIMIRI coronatas Laudes flexibilem, quem, dum Tuis CELSISSIMIS subijcio Plantis, hæc Vota appono: Vive PRINCEPS CLEMENTISSIME longævam Annorum seriem, Vive Ecclesiæ, bonoq; Communi, & dum Te Regio DIVI CASIMIRI coronatum NOMINE gratulatorio recognoscimus Voto, nos pro fidelibus semper habe Clientibus & devotis servis.*

CELSITVDINIS TVÆ

Humillimus exorator.

Fr: DIONYSIVS CHEŁSTOWSKI,
S. Th. D. Vicarius Provinciæ PRIOR in RUPELLA
ad Sanctum STANISLAVM.

G. N.

CELSISSIME PRINCEPS

Diu Te ambivit ipse Pontificius Honor; noverat enim licet ex se summus sit de te posse crescere. Addidisti Honori Infulato gradum non Honor Tibi, qui Te dignum invenit antequam fecisset. Habent enim hoc Magni fasces, quod eò in uberiorem excrescant Culmum, quô Augustiori inseruntur sangvini, ac si frumentariam in tarentur glebam, quam non granum frumenti fæcundam reddit sed reperit. Cum funere & sacris Pontificum (qui Te præivêre) cineribus emori videbatur, nunquam mortalis Infulata Dignitas prius itaq; Administratorio Tuo spiritu animari voluit ut Tibi superstes viveret. Post Divas Antistitum exuvias administrandum Tibi dederê superi Pontificium subselium; ut tempestivè Capitis Tui ad Coronas nati

Sede Vacante Administrat: Episcopatus Cracoviensis creatur

A vastita-

vaſtitatem temperarent ad Tyaram. Excedis Dignitate Tua Culmen Epiſcopale ita, ut niſi Compendioſam meritorum Tuorum in Te efficias ſyllabum Infula Te capere non valeret. Fata aliorũ Te ipſo compenſabas, in GENERALEM Eccleſiæ Moderatorem voto Superum inauguratus; & dum Vices agere coactus eſſes, in ipſo moderamine Tuo jam genuinam Præſulis veri in Te referebas formam. Tutorem tantùm modò orba Diæceſis Te habitura ſperabat, ſed ſpem correxit eventus, poſtquàm pro Tutore experiretur Paſtorem, antequam eſſes. Sedem vacare non permiſiſti, & ſi vacare forte moriendi Prædeceſſoris Tui cogeretur, occupabas enim eam non tam ſitu quàm animo, mentisq; indefeſſo ſtudio; apud quem vacare non eſt intervallum quietis & otij, privatis enim non niſi quieviſſe conceſſum. Benè noverat Metropolitana Sedes Cracovienſis per Te poſſe ſtare, ſi etiam in Epiſcopali Pedo Tuo collocaretur; ac ſi non ſatis haberet Fulcimenti ex Adminiſtratoriali Athlantico robore Tuo, quam inconcuſſo tutamine & infractis lacertis Tuis ſolidaſti.

Sub Auſpicijs feliciſsimis Ejus incæpit Annus ſæcularis.

Sæcularem ſi revolvam Annum, illud æternæ Gloriæ Tuæ monumentum, nunquàm edaci temporis tineâ conſumendum eloqui cogor Te poteſtate Clavium Sacros Portæ Sanctæ Cardines pateféciſſe, anguſtamq; ſalutis portam pleno Indulgentiarum ampliaſſe favore, demum infuſis gratijs ſcaturientem è ſepticolli Helicone Tyberim planè totum in ſitibundas effudiſſe animas, ita ut quisquis hoc Elementum luſtrale guſtaret, novum ſe in animo, eumq; Sanctiorem ſentiret Tantalum, magis ac magìs ſalutis anhelum fugaciaq; poma noxæ Originalis ſymbola amplius non captantem. Initium ſæculis dediſti, quodlibet enim Actuum Tuorum negotium non momentis conſtat, verùm æviterna ſæculorum perpetuitate menſurari meretur. DVCATVS SEVERIÆ Adminiſtratione potitus DVCEM ſæculorũ egiſti, ut curſum non quo fata vocarent, ſed quo Eccleſiæ utilitas, ſtatûs Publici tranquilitas,

Populi

Populi socialis Vita, Boni Communis invitaret salus, dirigerent. Præivisti sæculis D V X *Severiæ*, mõstrabasq; iter quo sit eundum, ne cursu præpeti communem Regni felicitatem everterent. Habent quod Tibi debeant sæcula, ut enim essent aurea Thesaurum infiniti valoris Ecclesiæ dispensasti, idquè ita, ut de Tuis donis etiam ipsa ditarentur tempora. Recenseant alij temporum suorum vices: Tibi deficeret ipsum tempus si Magnam recte Factorum Tuorum Congeriem numeris percurrere velis. Implent alij clepsidras levi arená, Tu ipsismet in Ecclesiam & Patriã ponderosis meritis. Nec Tibi in benè agẽdo horas tantũmodò numerare concesũ sed sæcula.

Magnũ Iubilaeũ celebratur Administrante Episcopatum Celsissimo sub Infula, Heracleensi.

Magni Tribunal IVBILÆI in ipso sæculorũ exordio universo intimasti populo quasi ad pænitentiam ipsa vocares sæcula jamjam, malorum conscia. Ream judicasti sæculorum Revolutionem, & ut nævum eorum aboleres, sanctitatemq; peccantibus impertires temporibus Antistes sæculorum dictus, benedixisti Coronæ Anni benignitatis. A nutu Heracleensis Infulæ Tuæ pendebat *Annus Gratiæ*, ita enim sub hac Tyara Te gessisti, ut etiam supra optimos eminere videbaris. Titos qui non nisi dies, Tu *Annos Gratiæ* efficere consveveras. Externam Patriæ Infulæ præmisisti Tyaram, ut primum illi veluti Hospiti in sacro Vertice Tuo dares locum. Caput primũ Tyaræ *Tuæ* in Dambsciano folio legimus; didicimusq; ex hoc Arboris Caduceo Senatorios Tibi parari Curules: ea enim

Ad suffraganeatũ Cracoviensẽ, inaura tura Celsissimo Dambski Episcopo Cracoviensi.

Dambsciorum *Godziembæ* in est aptitudo, ut non nisi in Regum sceptra: in Mareschalcorum scipiones, vel in Pontificij Pedi fulcimentum effingi queat. Movisti Arborem Infulatam Celsissimi Principis *Stanislai Dambski* Episcopi Cracoviensis, quæ Virtutum Tuarum valido sic mota favonio, Tyaram Suffraganeam in Caput Tuum cadere veluti dulcem fructum effecit. Rubum ardentem crediderim *Dambscianum* Pinetum, cujus fulgor ad cornua Bisontina *Celsitudinis Tuæ* novam Dignitatis addidit faciem. Divisit Tecum Celsissi-

Princeps Epiſcopus Cracovienſis ingentes turmas oneris, ut Socius Epiſcopalis laboris eſſes aliquando & Socius Coronæ. Adjutorium ſimile ſibi Te habere voluit, ut in Te veluti in Paradiſo Gentilitiam radicaret Arborem. Majus meretur Prædicamentum *Dambſciana* Pinus quàm Porphiriana Arbor: exqua *Rationale Pontificium* accepiſti ad differentiam. Prodroma fuit HeracleenſisCivica ad inquilinas vittas, idcircò diu hoſpitari apud Te non potuit, ut Indigenis cederet locũ Infulis. Ita cordi fuit etiam Exotico ſoli par Cælis Nomen Tuum, ut etiam ab ultimis finibus Pontificiæ Te quærerent Mitræ. Et ſi ſatis Tibi eſset ad Gloriam nativâ redimiri tæniâ, ut Te capacem etiam ad maximos reddidiſſes, quos è ſuo penu, ex ternus Iovis diſpenſat faſces ſub Heracleenſem extra Patriam Caput prius in clinaſti Infulam. Theca Capitis Tui Infula erat Heracleenſis, in qua ſera Poſteritas, rara Virtutum exempla, legendo diſcet. Vita Tua Palæſtra morum eſt, ita ut quidquid agis; eo ipſo rectè agendum præcipis. Imitari Te cogis dum facis. Evolvent Thecam Capitis Tui ſæcula & legent, quot Levitarum agmina imprimendo characterem Militanti Eccleſiæ conſcripſeris: & licet ſub Heracleæ Infulâ veluti ſub alienis videbaris militare ſignis, Patriæ tamen & Eccleſiæ Tuæ merebaris. Vices ſanctioris umbellæ obire credebatur hæc Tua Tyara, ubi pondus diei & æſtus ſuſtinebas pro cultura Eccleſiæ: caſſidis quoq; militaris inſtar, ſacrum Tuum armabat uerticem, quoties novus Athleta contra vitia populi pugnare voluiſti. Non in aliam evocabas arenam delinquentes, niſi ad cinerem pænitentiæ, ut eos à vinculis ſolveres, quos dira criminum tenebat catena. Frontem Infulatum fontem dixerim ex quo deciduos ſudoris manantis rivos magni fatigij Nuncios ita gravis in ſacris peragendis noviſq; myſtarum Tyrocinijs inſtituendis extorſit labor ut etiam ipſi lapides ſcabellum pedum Tuorum excavari cenſerentur. Ita Te Cardinalis fortitudo ad ardua ſolidavit opera, ut etiam

robur

robur tribueres, quos in fide confirmandos ſuſcepiſti. Nunquam elui poterit perennis memoria Tui, qui dum in devotam Populi Illiadem Sacramentale effudiſſes Oleum, ſimul & cor effvdiſti. Novas Eccleſias ita conſveveras beare Encenijs, ut diſtingvere difficilè erat, Templum nè manu factum an Cælum eſſet. Ipsâ Conſecrationis Divâ arte in ſanctiorem evadebant Tripodem Oratoria, placida pro precibus referendo oracula. In pauperes Te non tam liberalem quàm ſanctè prodigum ſpectavimus, quibus ultra id quod erogaſti Te totum dare non negabas. Videre erat ſub ANNO GRATIÆ turbam egenorũ mendicã ipſo ſui numero divitẽ de Tuâ Menſâ non micas colligentem, verùm ipſa Miſericordiæ viſcera ſugentem. Egeſtas pauperũ per Te diteſcebat creſcebatq; in Te nunquã ex hauſtus ſubveniẽdi animus, ubi creſceret infinita planè mẽdicantiũ Categoria. Prima Tibi erat portio prodeſſe debilioribus & frangere panem his, quibus ſæpè non naturæ vitium ſed ipſamet deſpecta conditio, temporum injuriâ in ducta volam contraxit ad uſum. Et ſi oculi eorum tenerentur, tamen ex fractione panis, alij Te *Patrem* pauperum impreſſam Tui beneficij referentes ſpeciem cognoverê; alij futurum *Principem* in cujus Domo Panis, verâ Divinatione prædicere non dubitârunt. Triduo Te ſuſtinere famelicam non permiſiſti plebem, imo momentis ipſis providere conabaris ita, ut nec etiam hora pauperum effluxiſſet jejuna. Ne pauper ubiquè jaceret, locum circumſcriptivum, novamq; de facultatibus Tuis quantitatem, ægris Corporibus locandis procuraſti. Aderas in Perſona ſæpenumerò alumnis Tuis, ut prodeſſes non tantum cibi apparatu, ſed & obſequio: & quibus inſtruebas menſam, inſtructionem ſimul ſecuturæ Poſteritati relinquebas imitabilem. Tabulam alij dixerê Convivantium menſam, cui, & ſi obtuſa per egeſtatem aſſidebant Pauperum ingenia, ita tamen profeciſſe ſtudebant, ut nihil didiciſſent, niſi Tibi æternum gratos fore.

In conſecrandis Eccleſijs, frequẽs.

Pauperibus quorũ magna copia erat tẽpore Iubilæi providet.

Pro pauperibus tẽpore Iubilæi, magni Locus Lazarethum, dictus deſignatur.

Menſa aliquãdo dicitur tabula.

B Non ſine

Non sine dulci cordis volupt'te Præsulea Infulæ Tuæ signa in Monte Claro primò apparuisse conspeximus, ita enim expediebat, ne Infulata apparatio Tua sinè Duce stella fuisset, ut sideris ad instar Tibi affulsisset MARIA. Vicisti Te in Monte Victoriæ, renitente non semel innata modestia Tua, ut nobis esses Pontifex. Vota ubi alij reddunt Domino, Tu vices votorum Tuorum recepisti in Infula. In propria Te venisse ad Infulam testabantur ipsi incrustati parietes, Mariani Sacelli, quod enim sorte MATHIÆ ŁVBIENSKI Primatis Regni Honori Mariano obtigit, id totum Tuum esse profitemur. Satis decorum ex *Lubienijs* erat Augustal Divæ Virginis; Tu tamen ad complementum decoris addidisti primum gradum Tuum Pontificium. Nidum potius quàm sacrarium Gnesnensis Archipræsul in Monte Mariano construxisse creditur, in quo Tibi aliquando sacræ nascerentur Infulæ. Idem *Lubienijs* cum *Augusta Cælorum Domina* Domicilium, & quod illi templum Honoris est, idem *Lubienijs* fit *seminarium Infularum.* Conjunxit Primas Regni MATHIAS ŁVBIENSKI Bisontem suum cum symbolico Divi Lucæ Bove, ut hoc jugo boum in rota Fortunæ suæ Lapidem Angularem facilius deveheret in fundum *Marianum.* Optima in Principe Munifico bonorum dilapidatio, ex qua Angulares pro Ara MARIÆ assurgũt lapides. Auxit Eremum Nostram Bisonte suo Magnus *Paulinæ Solitudinis* cultor, illudq; effecit, ut ibi non soli Leones sua haberent cubilia. Emisarium in cavernosam *Clari montis* Petram abegit de Domo Vrum, ut ibi pro sẽper Cæli Tærræq; Numen placabilẽ haberet victimã nã:

In Claro monte consecratur in Episcopum Heracleēsem.

Mathias Lubienski Fundator Capellæ, Marianæ in Monte claro.

Patriamq; Deumq;
Præsuleus placat, generoso vulnere Taurus.

Eodem passu Virtute prodroma CELSISSIME PRÆSVL ad Capitolium Honoris, quo Avus Tuus Præsul Gnesnensis evectus ad Gloriam processisti. Quamquam Excelsus Animus Tuus non alium Ducem, nisi Te ipsum habere voluerit ad

rit ad

rit ad præclaros Actus, quibus paratur, Honos: attamen ad laboris veri exercitium, Magna Antenatorum Nomina potens Tibi dedêre Magisterium: faciliùs enim vitantur offensivi Scopuli, & inter tumentes fluctus latitantes evaduntur pyraticæ syrtes, si ad Magistram itineris respicitur cynosurã. Non sorte in Mathiam cadente sed ipso meritorum calculo ad Chelmensem postulabatur Cathedram *Avus Tuus Celsissimus* rogari enim debuit, Cui ipse Honor Vectigalis erat. Cathedræ Chelmensis Palladium & Authoritate Pastorali & exemplari gravitate morũ fulcivit ita, ut nisi ex Etymo adnumeratũ sacro Collegio novisses; Petrum ex Cathedra non fulmina in electum vibrantem Gregem, sed miro verborum magnetismo ad ea quæ sunt Divini obsequij suaviter trahentem facilè *Tibi* per suaderes. Post advenã Heracleensem Infulã & *Tibi* PRINCEPS CELSISSIME ad Chelmenses Aras prima digressio, conspirabant quidem in Tuum Gentilitium Caput Primores Tyaræ: de Primatu, quænam Tuo sacro Vertice foret digna certantes, Sed vicit Chelma citra Paridis stubam, solo præscriptionis jure suffulta, ut *Avi Tui*, quondam Chelmẽsis Præsulis palmares fasces *Tibi* cederet capessendi. Prima Tua in gradu Chelmensi Statio, ita in extaticam rapuit Prælatorum, orbatiq; populi desideria admirationem, ut nemo non putaretur Te primo sui in Cathedram adventu unâ hora tantum attulisse solatij, quantum doloris per multa mæsti temporis lustra senserit Chelmensis Cathedra post Diva Avi Tui fata. Correxisti monumẽta Ecclesiæ Chelmẽsis caritie vetustatis corrasa & ut Avi Tui emendasses Oratoria, non digitos in pariete more Balthasaris, sed totam expressisti manũ. Sacræ alligatus Tyaræ, Senatorium non intermisisti turnum, quinimò ita publicas non tam alternabas, quàm identificabas vices, ut consulendo Ecclesiæ, simul consuleres & Patriæ. Non dividebas animum pretiosus Ecclesiæ, cum Patriâ unio dictus, quinimo pientissimo quodam invento, replicandi desi-

Ascensus ad Chelmẽsem Infulam.

Chelmẽsem Ecclesiã decorat.

derium Tibi inerat, ut ſimul & ſemel & Cathedræ non deeſſes Præſul, & inter Purpuratos Dictator: Legum controverſias in Chelmenſi Areopago quoties in libram accepiſti, in Diſtributiva Iuſtinianũ, & in Punitiva Gratianũ in Te expreſſiſti.

Cracovienſi, Infulâ inveſtitur Celſiſſimus Princeps Caſimirus.

Poſt Chelmenſem Præſulatum diu Metropolitanus *Cracovienſis Infulæ* cum *Principe* Noſtro CELSISSIMO CASIMIRO luctabatur Honor, ut ſtationi Paternæ ſuccederet, quam quondam *Celſiſſimus Andreas Trzebicki Epiſcopus Cracovienſis* Avunculus Præſulis Pontificio ſacraverat munere, tandem (ut inquit Tacitus de Tyberio Clavum Regni recuſante) *magis ratione quàm Honore victus eſt, cum quidquid tuendum non ſuſcepiſſet periturum videret*, quemadmodùm enim ſceptra Regni geſtante Tyberio Principe, ita Te Vniverſam gubernante Diæceſim concludi poteſt: *revocata in forum fides, ſubmota è foro ſeditio, ambitio campo, diſcordia Curiâ, æquitas, induſtria, Civitati redditæ, acceſſit Magiſtratibus Authoritas, Senatui Maieſtas, Iudicijs gravitas, rectè faciẽdi aut incuſſa Volũtas, aut impoſita neceſſitas, pœna in malos ſera, ſed tamẽ aliqua ſuperatur æquitate gratia, ãbitio Virtute.* Plus dicam: elementorum pugnam indeſinenti precum eiaculatoriarũ Tractatu ſedaſti PRINCEPS CELSISSIME ceſſavit enim àére us turbo Te Sacras fundente preces ac ſi idem eſſet impe-

Peſtiferis annonam provid:

rare peſtilentialibus ventis ac orare. Subſidiarias in peſtiferos erogabas Opes, forte ùt prius pecuniario dono veluti novo corruptionis genere placares elementum ne noceret, antequam ſe ipſo corrumperetur ut noceret. Sæviiſſet diutius exterminator Angelus, niſi vinculo *charitatis Tuæ* in epidèmicos profuſæ alligaretur. Vindex Angelus cum livido ſymptomate ne facilè aggrederetur mortales Tu habitatorios poſtes vallabas pane. Somnium erat ſub ſpecie ſubcinerici panis, gladium Gedeoniticum apparuiſſe Madianitico populo; extra ſomnium id veriſimilius eveniſſe ſpectavimus, dum gladius *Præſulis* noſtri in panis formâ obſeſſis à peſte extitiſſet. Volvebatur ille per platearum anfractus per Angulorum latibula,

bula,

bula, edacem famem hoſtem in Caput perſequens, ſtetitq́ tandem in ipſo Cracovienſi circulo, æternæ gloriæ *Lubienianæ* ſymbolo. Miram eamq́ pijſſimam in Gentilitio *Pomiano* quis non ſtupebit *mutationem*, ubi ſtylus gladij ferreus in ſtylum cedit charitatis. Sicut folium vento peſtilentiali è vivis rapiebatur populus, ſed patet jam Superis legentibus omne tale folium *à Capite* beneficijs Tuis fuiſſe exaratum. Tua gratia præveniens relucebat in commeatu, quo protrahebas Vitam proxime morituris. Emporium Regni *Cracovia* jam ceſſet putare *mori eſſe lucrum*, cum adſit qui ſalutem populi mercaretur. Peſtilentialis Clauſura & ſi publicas obſeraſſet portas ſoli tamen Providentiæ Tuæ pervius patebat aditus, quæ aliquando ipſos etiam penetrare credebatur muros. Si credere fas eſt in uno æmilio animam exhalaſſe Romanos, credibilius è converſo putarem in Te Diviniori Æmilio animam totius Diæceſis revixiſſe.

Per Te namq; unum medijs exuta tenebris
Forma ſuo redit Imperio, clauſtrisq; ſolutæ
Triſtibus exangues audent procedere leges.

Inter tanta Charitatis Officia prima Tibi occupatio erat Hirarchicum univerſæ Diæceſis in bono Ordine collocare Clerum, ubi Synodalibus *indictis* Comitijs *Tribum Sacerdotalem* Soli Deo Tributarium effeciſti. Ad circulum MARIANVM evocaſti congreſſum *electi populi Tui Eccleſiaſtici*, ubi de eradicandis diſputaſti vitijs, Solam Virtutum ſequelam perſvadendo. Quidquid pro Inſtructione à Te dictum percepimus, vim legis ut habeat neceſſe eſt. In alijs plus movent exempla quàm dicta, in Te idem eſt dicere, quod exemplo præeſſe. Teſtem habuiſti Tui Synodalis indefeſſi laboris CAPVT orbis & Vrbis *Romam*, hic enim Divinus actus melius *Supremo Eccleſiæ Romanæ Gubernatori* anuntiari non potuit, quàm per oculatum Spectatorem *Nuncium*. Nihil non ſanctum ſub Tuo Pontificatu,

Synodũ celebrat in Frequẽtia univerſi Diæceſis Cracovenſis Cleri.

Apoſtolicus Nũcius Spinola ſpectator Synodalis ſeſſionis.

C

Sub Pō- tificatu, tribus enim *Canonisatis Cælitibus*, Roma propi-
tificatu ejus. S. tia *Felicem*, *piam*, & *bonam* *Tē Pastore fecit Cracoviam.*
Felix, Ordinis Auxit Ovile Tuum Sanctorum numero Supremus Pastor,
Capuci. Canoni nullibi enim melius, potuerunt hi *cælestes* *Agni* pasci,
zatus Solenni quàm inter LILIA NOMINIS CASIMIRI. Triplici Cano-
ter ad Ecclesi: PP. in- nizatorum Dono muneratur Te ROMA, quam Tibi multis
troduci- tur itē, olim devinxisti Argumentis. Intulisti Tecum in Romanam
S. Pius Ordinis Campaniam manipulum absquè palea (NOMINI enim
Prædic. Canoni Tuo CASIMIRIANO Iagellonicus insertus est manipulus)
zatus intro-- in cujus adorationem, multorum inflexeras animos *Quiri-*
duc tur ad Ec- *tum.* Ad scholasticos evocatus ludos novum Amphithea-
am SS. Trini:. trum Romæ invenisti, ubi Gentilitius VRVS TVVS Theo-
Itē S.Ca tharina logicis exagitatus concertationibus Lauro meruit investiri.
Bononiē sis eodē *nam - - - - - - - -* *musis amicam*
anno Canoni *Gaudet honor redimire frontem.* Sarb: lyr. 4. od. 2.
zata. introdu Partam labore quasi Venalem alij mercantur eruditionem;
cit: ad Ecclesiā TIBI verò Romana Minerva *Donum* dedit Sapientiæ.
Strado:- PP.Ber Non semel erubescebant scientiarum habitus, quoties Te
nard: exornare voluerint, non enim habebant, quod ad decorem
Roma, Princi jam exculti Magni Ingenij Tui adderent. Non in vanum
pi nostri in Theol Scholastico pulvere partum intellectûs Tui incineraveras
Magi- stra fuit Romæ, ita enim spes omnium de Te cogitatas adimplesti;
ut Te Phænicem *Episcoporum* quem *Ignatiana* excoxit
flamma, salutaremus. Sed ad quid alienas petisti Athenas;
nisi forte, dum Patrio extorris esses Cælo, ipsimet Peregri-
no Soli Ingenij Tui claritate *diem addere* voluisses. Sed
ut quid Romana Studiorum adduco otia, longe modo in
Ab initio, sui profundiori sese exercet Studio *PRINCEPS* Noster;
Pontifi- 30. alit dum à Primo Alpha Pontificatûs Sui *Cracoviensis* docet
quotid: pauper: quomodo tractandi sunt Pauperes. Triginta Pauperibus *Pa-*
nes Propositionis quotidie apponit, verus enim sui ævi *Abi-*
melech est. Beatitudinem alij ponunt in Visione, Tu Be-
atos efficis Pauperes ex sola *fruitione Tuæ Gratiæ* *Magni-*

ficabit

ficabit **NOMEN TVVM** Remunerator **DEVS**, qui *esurientes reples bonis*, de Te ludit Poeta:

Hic non divitias, nigrantibus abdidit Antris,
Nec tenebris damnavit opes, sed largior imbre
Sveverat innumeras hominum ditare Catervas.

Non atramento notandum in Scholas *PRINCIPIS Nostri* Beneficium, cui nec totum pro Gratiarum Actione sufficeret *Alphabetum*; adeò enim summus literarum cultor extitit, ut optimè sciret scholis benefacere. Artes liberalitate sua liberales effecit, quas proprio ære dotavit ideo: ut *sangvis Nobilium* discendo, *venam* haberet mori pro PATRIA. Duodecim discipulos erudiendos elegit, eosque ad Collegium *Academicum* misit, quibus *Cænam Domini* de penu proprio procuravit. Liberam Gentis Polonæ Indolem inflectis Palladi, *PRINCEPS MVNIFICENTISSIME*, ut tempestive discat Regalibus Subijci Sceptris, sub quibus & Tu aliquando gloriosè militasti. A Sceptris ad *Coronatum NOMEN TVVM* inopem calamum meum inflecto cum hoc accentu *PRINCEPS CLEMENTISSIME*.

Duodecim juvenes de statu nobili in sciẽtijs Almæ Matris. Acad: miæ Cracoviensis, erudiẽdos intertenet

At Tibi quæ poterit pro tantis Civica reddi?
--------- aut quantæ pensabunt Tua Facta Coronæ.

CAPUT
OMNIBUS INFULIS INITIATUM
IN PRIMA INFULA
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
DOMINI
D. CASIMIRI
DE ŁUBNA
ŁUBIENSKI
EPISCOPI HERACLEENSIS
SUFFRAGANEI
ET CANONICI CRACOVIENSIS
EPISCOPATUS
ADMINISTRATORIS
Inter ipsam Sacræ Inaugurationis pompam prono Apolline
ADORATUM
à Cracoviensi Societatis IESU Collegio.
ANNO DOMINI 1701

CRACOVIÆ
Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S. R. M. Ord: Typographi.


HOC
CAPVT ambit
honos
Omnis
idem.